

DE SACROSANCTO MISTERIO TRINITATIS,

LIBER PRIMUS

DISTINCTIO I

Clara ac dilucida divisio Primae distinctionis, in qua Magister materiam huius libri, reliquorumque voluminum divisionem insinuat.

Veteris ac novae legis etc. Postquam Magister praemisit sui libri prologum, hic aggreditur tractatum et dividitur in duas partes, quia primo Magister inquit in universali de his, de quibus tractandum est in quattuor libris sequentibus. Secundo prosequitur de eis in principio distinctionis secundae, ibi: *hoc itaque* etc. Prima in tres, quia primo investigat materiam illorum quattuor librorum divisive, secundo diffinitive, et tertio epilogative. Secunda ibi: *Frui autem*. Tertia ibi: *Omnium ergo, quae dicta sunt*. Prima dividitur in duas, quia primo ponit unam divisionem, ex qua, ut patebit, haberi potest distinctio quarti libri a tribus praecedentibus. Secundo ponit unius membri subdivisionem, ex qua habetur distinctio primorum trium librorum. Secunda ibi: *Illud ergo in rebus*. Prima in duas, quia primo praemittit iam dictam divisionem. Secundo membrorum divisionis ponit declarationem ibi: *Proprie autem hic res*. Et eodem modo illa pars. Illud ergo in rebus, in qua subdividit, dividitur in duas partes, quia primo ponit divisionem, secundo membrorum explanationem. Secunda ibi, *Ille quibus fruendum est* etc.

Quaestio I

An quippiam aliud a Deo possit esse obiectum ordinare fruitionis?

Veritas est quod solus Deus et nullum bonum creatum potest esse obiectum ordinatae fruitionis, quae, cum sit ictus voluntatis supernaturalis, a nuda voluntate non egreditur, quae tamen de potentia Dei absoluta, intellectu existente suspenso potest esse in actu fruitionis.

Utrum obiectum ordinatae fruitionis possit esse aliquid citra Deum? Videtur quod sic, quia illud, quod est per se bonum, potest esse obiectum ordinatae fruitionis. Caritas est huiusmodi, ergo etc. Maior nota. Minor probatur, quia illud, quod non potest intelligi, vel esse non bonum, hoc est per se, et secundum se bonum. Sed caritas nec potest intelligi, nec esse non bona, cum sit forma ceterarum virtutum, et de se non possit esse informis, ergo etc.

Contra Beatus Augustinus in principio libri De doctrina Christiana ait:¹ Res, quibus fruendum est, [74b] * sunt Pater, Filius et Spiritus Sanctus. In ista quaestione quattuor sunt inquirenda. Primo, respectu cuius obiecti proprie habeat esse fruitio. Secundo, cuius potentiae actus sit fruitio. Tertio, dato quod voluntatis utrum nuda voluntas frui possit beatifice. Quarto,

¹ Cap. 5

utrum voluntas informata caritate possit esse in actu fruitionis, intellectu manente suspenso ab omni actu cognitionis.

QUANTUM ad primum dico quod solus Deus et nullum bonum creatum potest esse proprium obiectum ordinatae fruitionis. Quia de intrinseca ratione obiecti fruibilis est, quod sit quietativum totaliter animae rationalis quoad totum suum desiderium. Sed nulla creatura ad hoc sufficit, iuxta illud Augustini I. Confessionum.² *Ad te fecisti nos, Domine, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Et loquor hic de fruitione perfecta, quae est fruitio patriae. 2. Praeterea, Quodcunque bonum intellectus potest intelligere, voluntas potest amare, sed quocunque bono finito cognito, vel cogitato, intellectus semper potest maius bonum cogitare. Ergo, voluntas non potest quietari nisi in bono infinito. Propter quod dixit Augustinus De trinitate. Libro 8:³ *Tolle bonum hoc et bonum illud, et apprehende, si potes, unum bonum, quod est omnis bonum.* 3. Praeterea appetitus intellectivus ordinatus diligit omne, quod diligit secundum modum et mensuram convenientem naturae suae diligentis. Sed omne bonum creatum secundum sui naturam semper est in bonum maius reducibile donec ad bonum infinitum et increatum deducatur. Ergo nullum creatum est simpliciter propter seipsum diligendum, nec per consequens est eo fruendum, sed utendum. 4. Praeterea, actus, qui secundum se ad nullum alium actum est ordinabilis, obiective terminatur ad tale obiectum, quod ad nullum aliud obiectum est ordinabile, et per consequens ad ultimum finem. Sed actus fruitionis est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia sicut se habet actus ad actum, sic obiectum ad obiectum. Minor etiam patet, quia actus fruitionis est actus perfectissimi amoris, et per consequens irreferibilis. Propter quod ait Augustinus 10 De trinitate:⁴ *Fruimur cognitis, quibus voluntas propter se ipsa delectata conquiescit.* CONTRA praedicta potest argui ratione et auctoritate. Ratione sic: ubicunque est dare magis et minus, ibi est dare aequale. Sed est dare bonum excedens animam rationalem, sicut est bonum divinum et est dare bonum excessum ab anima rationali, sicut bonum rerum sensibilibum. Ergo, praeter bonitatem Dei erit dare bonum aequale animae rationali, quod ipsam poterit satiare. 2. Praeterea, omnis virtus, seu potentia finitae capacitates aliquo finito poterit satiari. Sed capacitas animae rationalis est finita, cum sit creata, ergo etc. 3. Praeterea, inter obiectum et potentiam debet esse proportio, sed infiniti ad finitum nulla est proportio. 4. Praeterea, actus specificantur ex obiectis, ut patet 2 De anima: *si ergo actus fruitionis haberet obiectum infinitum, tunc secundum suam speciem esset infinitus, quod est impossibile, cum sit quid creatum.* Item auctoritate sic Apostolus ad Philomenem ait: *Ego te, frater, fruar in Domino.* Item Augustinus 9 De trinitate ait:⁵ *Inferiori utendum est ad Deum, pari autem fruendum, sed in Deo.* Et subdit: *Nobis ergo et fratribus fruamur in Domino.* Item ait ille sapiens:⁶ *Hoc mihi bonum visum est ut homo frua-[75a]-tur cum laetitia de labore suo.* Item Augustinus 83 Quaestionum ait: *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem,* sed de creaturis homines capiunt voluptates, ergo etc. SED ISTA non concludunt, quia perfecta fruitio, de qua ad praesens loquar, est actus beatificus. Sed secundum Hugo de Sancto Victore in commento *Caelestis Hierarchiae*, nihil nos potest beatos facere, nisi Deus seipso, qui nos ex nihilo fecit, ergo nulla creatura poterit esse obiectum talis fruitionis. AD PRIMUM dicendum quod maior est vera in his, quae sunt eiusdem rationis; in alias autem non, licet enim sit dare maiorem Angulum rectilineum Angulo contingentiae intercepto inter diametrum et semicirculum, puta Angulum obtusum, vel Angulum rectum, qui ambo sunt maiores eo; et minorem eo, puta Angulum acutum, nunquam tamen poteris dare Angulum rectilineum aequalem Angulo contingentiae, pro tanto, quia sunt diversarum rationum; sic eodem modo in

² Cap. 1, tom. 1

³ Cap. 3 tom. 3

⁴ Cap. 10 tom. 3

⁵ Cap. 8 tom. 3

⁶ Eccl. c. 5

proposito. Posset etiam dici ad minorem quod, quamvis bonitas divina entitative excedat nostram voluntatem, non tamen obiective; est enim obiective capax bonitatis infinitae, licet non sub ratione infinita. Et per idem patet ad secundum. SED FORTE dices quod eadem ratione potest sua capacitas quietari in bono finito, qua ratione quietatur in bono infinito sub ratione finite, quia ratio, sub qua sit talis quietatio, illa principaliter est attendenda. RESPONDEO, quod non est simile, quia quodcunque bonum finitum, quantumcunque sit excellens cognitum, vel amatum ab anima rationali, hoc potest ipsa anima referre in maius bonum, et per consequens in ipso quiescere non potest. Sed cum apprehendit bonum infinitum, quamvis sub ratione finita, hoc in maius bonum, vel in aliud bonum referre non potest, et ideo finaliter quiescet in eo. Quod autem anima rationalis omne bonum finitum possit ulterius referre, proba, quia vel apprehendit illud bonum ut creatum, vel increatum, vel indifferenter se habens, dubitans an sit creatum, vel increatum. Si primo modo, tunc planum est, quod refert ipsum in suam causam et non quiescet in eo, quia videns effectum, naturaliter desiderat videre suam causam. Si secundo modo, tunc nihil intelligeret, quia falsum non contingit scire, quia non est, ut patet primo Posteriorum.⁷ Si tertio modo, tunc nec sic quiescere posset, donec ad alteram partem suae dubitationis determinate veniret. Ad tertium dicendum quod obiectum sumptum sub ratione obiectali debet habere proportionem ad potentiam. Sed, quamvis infinitum sub ratione infinita non habeat proportionem ad potentiam finitam, tamen sumptum sub ratione finita ei poterit proportionari. Ad quartum dicendum ad maiorem quod actus specificantur ab obiectis, non absolute, sed ab obiectis sumptis sub rationibus obiectalibus, seu actus specificatur ab obiecto non absolute, aut quocunque, sed proprie et determinate accepto, puta ab obiecto sumpto sub ratione obiectali, qua finita existente actus poterit esse finitus, non obstante infinita entitate obiecti. Ad primas duas auctoritates patet per hoc, quod in unaquaque subiungitur in Domino, quia, sicut ait Augustinus, in libro I De doctrina Christiana⁸, *Cum homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris*. Ad tertia dicendum quod ibi sapiens accipit frui aequivoce, scilicet pro delectari. Ad quartam dicendum quod proprie fruimur illa re, de qua accipimus voluptatem, non quamcunque, sed perfectam et beatificam. De alia autem loquendo voluptate, fruitio sumetur, vel improprie, vel imperfecte, vel inordinate. SED EST quaedam adhuc opinio, quae praedictae videtur obviare veritati. Ponit enim praedicta opinio, quod Deo fruemur in patria tamquam obiecto remoto, sed ipsa visione Dei fruemur tanquam obiecto immediato ipsius beatae fruitionis. Ad cuius declarationem praemittit hanc divisionem, quod duplex est amor, scilicet amor benevolentiae, quo amore amamus id, cui volumus aliquod bonum, vel aliquam perfectionem, et est amor concupiscentiae, quo amamus id, quod nobis, vel amicis nostris volumus. His praemissis arguunt sic. Immediatum obiectum amoris concupiscentiae non potest esse res distincta a concupiscente. Ista patet, quia nihil est nobis bonum nisi inquantum nobis est coniunctum. Obiectum autem amoris concupiscentiae est bonum, quod concupiscens appetit sibi. Sed fruitio est quidam amor concupiscentiae, ergo Deus non potest esse immediatum obiectum fruitionis, secundum quod subiecto est distinctus a nobis. Immediatum ergo obiectum fruitionis erit actus visionis divinae, secundum quem Deus est coniunctus nobis. Quod autem fruitio sit amor concupiscentiae, probant dupliciter. Primo, quia delectatio de Deo habita correspondet desiderio de Deo habendo. Sed per actum desiderii non desideramus aliquid Deo, sed nobis, et per consequens desideramus amore concupiscentiae, ergo et delectatio sive fruitio erit amor concupiscentiae. Secundo, quia amor, cuius obiectum est bonum delectabile et utile, est amor concupiscentiae. Sed fruitio est huiusmodi, ergo etc. 2. Praeterea, idem est obiectum immediatum delectationis sequentis et desiderii praecedentis, sed obiectum desiderii praecedentis non est Deus immediate, sed aliquis actus, quo attingitur Deus, quod patet, quia obiectum desiderii est aliquid futurum. Deus autem secundum se non est futurus, sed eius visio est nobis futura, ergo. 3. Praeterea, omnis amor habet aliquid complexum pro obiecto. Sed Deus

⁷ Tex. c. 5

⁸ Cap. 33 tom. 3

non est aliquid complexum, ergo etc. Maior patet ex praecedentibus, quia amore consequi volumus aliquod bonum nobis, vel aliquod malum elongari a nobis, ergo actus amoris sequitur actum intellectus componentis et dividensis, qui facit mentionem de prosequendo, vel fugiendo. SED ISTA non credo esse vera, quia actus perfectissimae caritatis transit directe et immediate super obiectum summe diligibile. Sed actus fruitionis est actus perfectissimae caritatis et solus Deus est obiectum summe diligibile, ergo actus fruitionis beatæ non habebit visionem Dei, sed ipsum Deum pro immediato obiecto. Et confirmatur, quia quanto aliquid est magis bonum, tanto magis et immediatius est diligibile, quia immediatius et fortius poterit appetitum movere. Sed Deus est summe bonus, ergo ipse est immediate et summe diligibilis. Praeterea, actus perfectissimus voluntatis non est in ea quae sunt ad finem, sed immediate in ultimum finem. Sed actus fruitionis est perfectissimus actus voluntatis, ut infra patebit, ergo non tendet immediate in visionem, sed in Dei bonitatem. Visio enim illa cum sit creatura, non est ultimus finis simpliciter, sed solus Deus est ultimus finis simpliciter, omnis autem creatura est ad illum. Et confirmatur, quia voluntas secundum se est ipsius finis, electio est eorum, quae sunt ad finem. Modo planum est, quod actus fruitionis non est electio, ergo etc. Ista est etiam intentio prophetae⁹, cum ait, *Laetamini in Domino et exultate iusti*. Non dixit *Laetamini in visione Domini*. Ait iterum: *Adimplebis me laetitia cum vultum tuo, delectatione in dextera tua usque in finem*.¹⁰ Sed sicut patet in glossa super * Canti: *Leva dicitur humanitas, et dextera dicitur divinitas*. AD PRIMUM ergo dicendum quod maior universaliter sumpta est falsa, quia sicut patuit per distinctionem tuam, amore concupiscentiae non solum desideramus bonum nobis, sed aliis. Quando ergo concupiscens alteri desiderat bonum, tunc necessario obiectum illius desiderii est subiecto distinctum a desiderante. Etiam minor est falsa, quia cum fruitio sit amor perfectissimus non poterit esse amor concupiscentiae, qui imperfectior est amore amicitiae sive benevolentiae, sicut patet 4 et 9 Ethicorum.¹¹ Praeterea ille est amor amicitiae, quo diligitur amicus propter se ipsum. Sed omnes sancti doctores clamant quod Deus est diligendus propter se, et proximus propter Deum, cum ergo caritas patriae non sit imperfectior caritate viae, ergo Deum in illa beata fruitione diligitur, propter [76b] * se, et in se, et per consequens diligitur amore amicitiae. Et haec est expressa sententia Beati Augustini 10 Confessionum ubi ait:¹² *Est gaudium quod non datur impiis, sed his, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es, et haec est vita beata gaudere de te, propter te*. Item in principio De doctrina Christiana ait:¹³ *Frui est amore alicui inhaerere propter se ipsum*. Et ibidem dicit quod *solo Deo est fruendum*. Cum ergo solum sit dictio exclusiva, sequitur necessario quod visione non sit fruendum loquendo proprie de fruitione. EXEMPLUM etiam quoddam ponit iste doctor, quod satis periculosum esse videtur modo quo ipsum trahit ad propositum. Dicit enim, quod simile sit in fruitione de visione Dei et de Deo, sicut in amore vini de gustatione vini et vino. Quia, sicut immediate amo gustationem vini, et mediante gustatione amo vinum, sic, ut ait Beatus, immediate fruitur visione Dei, et mediante visione fruitur Deo.

EX ISTO dicto sequitur, quod Beatus immediate non fruatur Deo, sed utatur Deo, quod esset tota perversitas secundum Augustinum, et per consequens impossibile Beato. Quod autem hoc sequatur patet. Quia, quicquid amamus propter alterum, illo utimur, quia ipsum in alterum referimus. Sed vinum amamus propter gustationem, et per consequens, si similitudo tua valet, Deum amamus propter visionem etc. Etiam falsum assumit, cum ait, quod immediatius amemus visionem Dei, quam Deum. Quia illud, quod prius est cognitum, prius et immediatius amatur, sed Deus prius cognoscitur, quam visio Dei, ergo etc. Maior patet, quia bonum cognitum est

⁹ Psal. 31

¹⁰ Psal. 15

¹¹ Cap. 2; Cap. 7

¹² Cap. 22 tom. 1

¹³ Cap. 4 tom. 3

obiectum amoris. Minorem probo, quia Deus cognoscitur actu recto, sed visio Dei actu reflexo, sed naturaliter intellectus est prius sub actu recto, quam sub actu reflexo. AD PRIMAM probationem minoris dicendum quod minor istius propositionis est falsa. Primo ex eo quod dicit quod non desideramus aliquid Deo, nam quilibet amans Deum, desiderat Dei cultum, gloriam et honorem. Secundo in eo quod dicit quod per actum desiderii, quo Deum diligimus, desideramus nobis bonum, quod falsum est. Quia perfectus amator non diligit, nec desiderat amatum propter aliquid sibi proveniens ex amato, sed diligit ipsum propter se ipsum et propter propriam virtutem ipsius amati, sicut patet 8 Ethicorum ubi sic ait Aristoteles: *Perfecta est autem bonorum amicitia, et secundum virtutem solum*. Et paucis interpositis subditur: *Permanet autem horum scilicet bonorum amicitia usque quo boni sunt, virtus enim mansiva*. Et sequitur ibidem: *Adinvicem autem sunt utiles similiter autem et delectabiles, unicuique enim secundum delectationes sunt proprie operationes*. Talis enim amicitia mansiva rationabiliter est, copulat enim in se omnia, quaecunque oportet amicis existere, quasi dicat: *Licet perfectus amicus non amet propter utilitatem, vel delectationem, tamen omnia ista consequentur perfectam amicitiam, sive delectationem*. Sed de his, qui amore concupiscentiae diligunt propter utile, vel delectabile, postea in eodem libro subdit Aristoteles:¹⁴ *Propter delectationes quidem et utile etiam prave contingit amicos ad invicem esse*. Et sequitur: *Non omnino autem hic copulantur, neque fiunt amici propter utile et delectabile, non enim omnino coniunguntur quae secundum accidens*. Et tunc concludit Aristoteles. dicens: *Isti quidem, scilicet boni simpliciter amici, illi autem secundum quid et assimilati his*. Ex his ergo evidenter apparet quod ille perfectus amor, de quo nos loquimur, nec debet esse propter delectabile, nec propter utile, nec propter aliquid nobis proveniens, sed immediate debet tendere in Dei bonitatem propter se ipsam, licet omnia bona talem amicitiam consequantur iuxta illud Sapientiae. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Alias, sicut iam apparuit, perfectior esset dilectio amicitiae politicae, quam divinae, quod multum absurdum est etiam cogitare. Ad secundam probationem dicendum quod minor est falsa, ut patet per iam dicta. Ad secundam rationem praedicti doctoris dicendum quod minor est falsa. Ad probatio-[76b]-nem, dico quod, quamvis Deus in se non sit futurus, tamen ut in ipso quiescat et terminetur motus desiderantis, sic ipse Deus est futurus. Ad tertiam rationem eiusdem doctoris dicendum quod per eandem rationem potest probari, quod ipsa visio non sit immediatum obiectum fruitionis, quia visio ipsa est quid incomplexum. Item, si omnis amor habet quid complexum pro obiecto, tunc Deus non posset esse obiectum remotum ipsius fruitionis, quorum utrumque oppositum ille affirmat. Ex quo patet quod ratio istius doctoris magis militat contra ipsum, quam contra quemcunque alium. Ad formam rationis dicendum quod maior est falsa. Ad probationem dicendum quod ipsa probatio non est ad propositum, quia procedit solum de amore concupiscentiae. Sed amor fruitivus, de quo ad praesens loquimur, non est amor concupiscentiae, ut patet ex praedictis.

Quantum ad secundum istius quaestionis articulum dico, quod actus fruitionis proprie est actus voluntatis. Quia istius potentiae est ipsa fruitio, cui proprie competit complacere et delectari, voluntas est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia fruitio est essentialiter complacentia et delectatio perfecta in ultimo fine. Minor patet per Anselmum in De conceptu virginali,¹⁵ ubi dicit quod sola voluntas delectatur, et hoc verum est loquendo de delectatione principaliter et per se, quia, etsi aliae potentiae in suis operationibus delectantur, huiusmodi tamen delectatio in ipsis innascitur et conficitur ex complacentia voluntatis. 2. Praeterea, nobilissima animae nostrae potentia est ipsa voluntas. Sed fruitio est actus potentiae nobilissimae, ergo etc. Minor est nota, quia actus fruitionis est actus beatificus. Maior patet, quia sola voluntas est primo, et secundum se libera, unde nec ipsa ratio est libera, nisi ex hoc, quod in eadem essentia animae fundatur cum voluntate. Unde etiam in nulla speculatione

¹⁴ Cap. 4

¹⁵ Cap. 4

intellectus potest persistere, nisi inquantum adest propositum voluntatis. Ex quo patet evidenter nobilitas et libertas ipsius voluntatis, quia ipsum intellectum potest avertere a quacunque sua actuali speculatione, et per libertatis suae imperium alterius rei considerationem sibi iniungere. 3. Praeterea, eiusdem potentiae est per se moveri ad terminum, et quiescere in termino. Sed per actum voluntatis per se movemur ad terminum beatificum, etc. Maior patet. Minorem probro, quia per desiderium, quod est quidam actus voluntatis, movemur ad Deum, per fruitionem autem quiescimus in Deo. 4. Praeterea, amor est ipsius voluntatis, sed frui est amore alicui inhaerere, ut ait Augustinus in I libro de Doctrina Christiana¹⁶, ergo etc. Et idem Augustinus in 10 De trinitate¹⁷: *Fruimur cognitis, quibus voluntas propter se ipsa delectata conquiescit*. Item Augustinus 10 De trinitate ait¹⁸: *Voluntas nobis adest, qua fruimur et utimur*. Idem De Doctrina Christiana, ait¹⁹: *Eo fruimur quo propter se diligimus*. Contra praedicta sunt dicta multorum doctorum, qui intellectum dicunt nobiliorem voluntate, et beatitudinem vel solum existere in intellectu, vel saltem principalius. Ad praesens tamen huiusmodi dicta non adduco, quia magis proprie locum habent, distinctione 49 quarti libri, et ibi ea adducam Domino concedente.

QUANTUM ad tertium articulum dicendum quod non, quia, sicut agere naturale praesupponit esse naturale, sic agere supernaturale praesupponit esse supernatural. Sed actus fruitionis est supernaturalis, et potentia nuda non habet esse supernaturale, ergo etc. 2. Praeterea, felicitas naturalis non potest esse in nuda potential, ergo nec supernaturalis. Antecedens patet 10 Ethicorum²⁰, ubi Philosophus ponit actum ultimatae felicitatis naturalis non posse causari nisi ab obiecto perfectissimo in nobilissima potentia perfecta habitu nobilissimo, puta habitu sapientiae. Consequentia de se patet, quia, quanto actus magis excedit potentiam, tanto potentia plura requirit adminicula dispositiva et coadiuvantia respectu talis actus, ergo etc. 3. Praeterea, [77a] * nuda voluntas non potest in actum meritorium, ergo nec in praemiarium. Antecedens patet, quia hoc fuit error Sabellii, quod ex puris naturalibus possemus mereri. Consequentia est nota, quia non minus excedit nostram naturalem facultatem actus praemii, quam actus meriti. 4. Praeterea ista conclusion, etiam secundum aliquos doctores, probatur sic. Impossibile est extrema improporcionata ad aliquam proportionem reduci nisi per aliquam mutationem factam in altero extremorum, sed voluntas humana naturaliter sumpta et obiectum beatificum sunt duo extrema in infinitum distantia, ergo nunquam devenient ad huiusmodi proportionem, quod ipsa voluntas tali obiecto perfecte fruatur, nisi facta mutatione in voluntate, vel in obiecto. Sed in tale obiectum impossibile est cadere mutationem, ergo necessario requiritur in ipsa voluntate aliquis habitus supernaturalis, ratione cuius voluntas supernaturaliter mutata respectu istius supernaturalis obiecti aliqualem capiat proportionem. SED FORTE dicetur quod talis habitus supernaturaliter elevans potentiam, vel erit finitus, vel infinitus. Si finitus, tunc non poterit elevare potentiam ad obiectum infinitum, quia virtus sequitur substantiam. Si ergo substantia, sive essentia illius habitus est finita, virtus sua non poterit tollere distantiam infinitam. Si autem habitus talis est infinitus, tunc aequalem habebit potentia improporcionem ad habitum, sicut habuit ad obiectum. Illud (ut credo) fuit maximum motivum omnium Sabellianorum, quia dixerunt quod ex puris naturalibus possumus consequi actum perfecte fruitionis. 2. Praeterea, ipsi poterant arguere sic. Quaelibet potentia potest in omne illud sine habitu, quod per se continetur sub suo obiecto adaequato. Sed bonum inquantum bonum est obiectum voluntatis, ergo nuda voluntas potest in omne bonum. 3. Praeterea, habitus non facit ad substantiam actus, licet faciat ad modum actus, potest ergo creata voluntas in substantiam cuiuslibet actus secundum se nude sumpta sine habitu, in cuius modum

¹⁶ Cap. 4 tom. 3

¹⁷ Cap. 10 tom. 3

¹⁸ Cap. 20, tom. 3

¹⁹ Cap. 22

²⁰ Cap. 8

potest cum habitu, ergo saltem quantum ad substantiam actus poterimus contingere obiectum beatificum ex puris naturalibus. 4. Praeterea, Damascenus libro 2 ait:²¹ *Voluntas est ipsius finis, electio autem eorum, quae sunt ad finem*. Et idem ponit Philosophus 3 Ethicorum.²² Sed quandocunque potentia secundum se dicitur respectu alicuius obiecti, tunc actus elicited a tali potentia circa huiusmodi obiectum progreditur de nuda potentia, sine habitu potentiam disponente, sicut patet de intellectu respectu principiorum, ergo etc. 5. Praeterea, respectu eius, in quod tendit, potentia naturaliter non indiget habitu disponente, sed quaelibet potentia tendit naturaliter in suum finem, cum ergo bonitas divina sit per se finis animae rationalis, ergo etc. SED ISTA sophistica non concludunt, et maxime in praesenti proposito, quia operatio perfectissima est delectabilissima, et per consequens non potest elici a nuda potentia sine habitu. Sed fruitio est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia, ut dicitur 10 Ethicorum.²³ *perfecta operatio in delectatione consistit, perficit enim operationem delectatio*. Sed ut dicitur 2 Ethicorum²⁴ *signum est generati habitus voluptatem, vel tristitiam fieri in opere, voluptatem scilicet in opere, et tristitiam in impedimento operis*. Minor patet ex dictis superius. Ipsa ergo caritas, cum sit habitus perfectissimus, necessario requiritur in voluntate respectu iam dictae perfectissimae operationis. AD PRIMUM ergo motivum, quo Sabelliani poterant moveri, dicendum quod distantia inter Deum et creaturam dupliciter potest intelligi. Uno modo, secundum entitatem et esse. Alio modo, secundum habitudinem, quae est motoris ad mobile. Tollens distantiam primam necessario est virtutis infinitae, non autem secundam; etiam potest dici quod tollere distantiam infinitam potest intelligi active et in virtute propria, vel dispositive, vel in virtute superioris. Tollens primo modo, oportet esse infinitae virtutis, non autem secundo modo. Et quia secundum [77b] * Apostolum²⁵, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitatem Spiritum eius, qui habitat in nobis, ergo, quicquid per caritatem efficitur in voluntate nostra, totum sit virtute Spiritus Sancti assistentis ipsi caritati, et ideo non est mirum, si aliquid in nobis per caritatem contingit in virtute Spiritus Sancti, quod secundum se loquendo excedit vim et virtutem caritatis, sicut etiam videmus in naturalibus, quod agens instrumentale potest in effectum excedentem suam propriam speciem in virtute agentis principalis. Ad secundum dicendum quod loquendo de capacitate naturali ipsius voluntatis, tunc minor est falsa. Sed loquendo de capacitate obedientiali, tunc minor potest concedi cum illo tamen moderamine, sicut superius quaestione 2 articulo 4 dictum est de ente, inquantum ens respectu intellectus. Ad tertium dicendum quod, quantum spectat ad propositum argumentum, nullam habet difficultatem, quia actus fruitionis est actus maxime modificatus, cum sit perfectissimus et delectabilissimus promptissime et facillime elicited. Sed quantum ad actum meritorium, tunc argumentum habet aliquam apparentiam. Et ideo quoad hoc dico, quod sicut habitus infusos in nobis esse non experimur, sed sincera fide tenemus, sic eodem modo quod tale habitus sint necessarii, magis tenemus fide, quam ratione. Ergo, de talibus est tenendum, quod dictis sanctorum et veritati fidei magis est consentaneum, sed decreta sanctorum expresse ponunt, quod habitus infusi non solum faciunt ad modum actus, sed etiam ad substantiam actus. Unde de Confessionibus distinctione 4. capitulo. *Quisquis dicitur sic, Quisquis dixerit per gratiam Dei nos tantum adiuvari ad non peccandum inquantum per illam nobis aperietur intelligentia mandatorum Dei, non autem quod per eam nobis praestetur, ut quod faciendum congnoverimus etiam facere valeamus, anathema sit*. Et eandem sententiam magis expresse habemus. capitulo immediate sequenti, ubi sic dicitur: *Placuit ut quicumque dixerit gratiam iustificationis dare, ut quod facere per liberum arbitrium iubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam (etsi gratia non daretur) possimus etiam sine illa implere mandata divina, anathema sit*. Patet

²¹ Cap. 22

²² Cap. 7

²³ Cap. 4

²⁴ Cap. 3

²⁵ Rom 5

ergo, quod maior illius rationis est falsa. Ad quartum dicendum quod, quamvis finis sit primum a voluntate volitum, tamen ad consequendum finem modo debito, indigent voluntas habitu regulante. Et cum additur de intellectu respectu principiorum, dico quod bene est simile quantum ad velle finem, non tamen ad consequendum finem, etiam potentia intellectiva perficitur habitu, qui dicitur intellectus principiorum, ut patet 6 Ethicorum²⁶ Ad quintum dicendum quod licet naturaliter feramur in Deum, inquantum ipse est α et ω , finis et principium omnium, et hoc sub obscuritate fantasmatum, quem modum secundum vires naturales nostras transcendere non valemus, non tamen ut est obiectum supernaturaliter animam glorificans. Et potest dici, sicut ad quartum dictum est.

QUANTUM ad quartum principale, dico quod de potentia Dei absoluta, licet non secundum ordinem a Deo nunc institutum, voluntas potest esse in actu fruitionis, intellectu existente suspenso, quoad actum cognitionis, quia quando duae potentie sic se habent, quod differunt ab invicem re absoluta, Deus per suam omnipotentiam potest unam conservare in operatione sibi conveniente, alia suspensa a sua operatione permanente. Sed, sicut patebit in dist. 3, voluntas differt ab intellectu re absoluta, ergo etc. SED CONTRA maiorem istius rationis instari potest triplici exemplo. Primo, quia materia et forma differunt re absoluta, et tamen nulla potest esse sine forma. Secundo, quia figura non potest esse sine quantitate. Tertio, quia pulchritudo non potest esse sine colore. SED ISTA non impediunt ista dicta maiorem, quia licet materia, figura, et pulchritudo sint absoluta, tamen necessario concernunt respectum, puta materia concernit respectum ad formam, figura ad quantitatem, pulchritudo ad colo-[78a]-rem, sine quibus respectibus etiam non possunt intelligi, sed voluntas bene potest intelligi sine intellectu. DICES FORTE quod voluntas est appetitus intellectivus, in hoc enim differt a sensitivo, ergo non poterit intelligi sine intellectu. DICO QUOD voluntas non dicitur appetitus intellectivus, nisi adventicia et denominatione quadam extrinseca, sed primo et per se et ab intrinseco dicitur appetitus liber, sive potentia libera. Unde per hoc, quod est potentia libera per se, et principaliter differt non solum a sensu sed etiam ab intellectu; et ideo potest intelligi, ut potentia primo, et per se sive essentialiter libera, circumscripta quacunque alia potentia cognitiva, sive sensitiva, sive intellectiva. 2. Praeterea, bonum motivum voluntatis non requirit esse cognitum, nisi ut movet in genere causae efficientis, sed virtutem cuiuscunque causae secundae in genere causae efficientis causa prima, scilicet Deus per se ipsam potest supplere, ergo immediate per bonitatem suam, praeter esse cognitum ab intellectu, efficienter poterit movere voluntatem. Minor est ab omnibus concessa, sed maior patet per Averroem 12 Metaphysicae²⁷ ubi ponit quod res appetibilis habet duplex esse. Unum in re extra, et sic est finis desiderii, et terminat actum voluntatis. Aliud in intellectu, et sic agit desiderium, et movet voluntatem. 3. Praeterea, cognitio intellectiva in volendo non requiritur, nisi ad praesentandum obiectum volibile ipsi voluntati. Sed secundum Augustinum in libro Confessionum²⁸ *Deus per seipsum est intimior, et praesentialior voluntati, quam voluntas sibi ipsi*; ergo per seipsum immediate poterit movere voluntatem.

4. Praeterea, ex dictis aliquorum potest argui gratia collationis ad hominem sic. Sensibile movet voluntatem sine notitia intellectiva, ergo et Deus hoc poterit. Consequentia patet per locum a minori affirmative. Probo antecedens, quia sicut communiter dicitur, nullum iudicium potest fieri in sensu de re sensata, sive in sensu recepta, nisi adsit intentio voluntatis. Sed planum est quod non est necesse quicquid sentimus, ut illud immediate intelligamus; ergo poterit esse aliquid volitum, quod non est intellectum. Et confirmatur, quia intellectu existente in actu recto aliquid intelligibile cognoscendo, voluntas vult eum intelligere, quia si voluntas non vellet

²⁶ Cap. 7

²⁷ Com. 36

²⁸ Elicitur ex lib. 5 cap. 2 tom 1

eum intelligere, ipse ad nullum momentum in tali intellectione posset se continuare. Sed planum est quod intellectus nondum se intelligit intelligere, quia tunc esset in actu reflexo simul cum actu recto, ergo non videtur quod repugnet voluntati aliquid velle, quod intellectus nondum cognoscit. SED CONTRA praedicta sunt quidam dicentes²⁹, quod simpliciter est impossibile per quamcunque potentiam voluntatem frui, intellectu non intelligente ipsum fruibile, quia simpliciter est impossibile actum visionis fieri sine actu fruitionis. Ergo similiter est impossibile actum fruitionis fieri sine actu visionis, seu intellectionis. Consequentia patet per locum a maiori negative. Probationes, quas adducunt pro antecedente, ego posui superius in prologo, quaestione 3 articulo 1, prima conclusione correlaria, ubi dixi quod notitia Dei intuitiva potest communicari viatori. 2. Praeterea, illud, quod non potest fieri praesens voluntati in ratione obiecti moventis, nisi mediante actu intellectus, hoc non potest movere voluntatem, nisi prius moveat intellectum. Sed obiectum fruibile, et quodcunque aliud obiectum voluntatis est huiusmodi, ergo etc. Maiorem dicunt esse notam, quia nulla potentia potest moveri a suo obiecto, nisi fiat sibi praesens in ratione obiecti moventis. Minorem probant, quia di-[78b]-cunt, quod natura specifica istarum potentialium hoc requirat, quod nihil moveat voluntatem, nisi prius moveat intellectum. 3. Praeterea, si voluntas posset moveri a fruibili obiecto non movente intellectum, tunc voluntas non esset appetitus intellectivus. Consequens est falsum, quia tunc voluntas transiret de specie in speciem. Consequentia probatur, quia sicut appetitus naturalis est in genere naturali, quia sequitur formam naturalem, et appetitus sensitivus in genere sensitivo, quia sequitur sensum, sic appetitus intellectivus, dicitur in tali genere, quia sequitur intellectum. Da oppositum, tunc mutabit non solum speciem, verum etiam mutabit genus. SED ILLUD non valet, quia, si Deus non posset obiectum fruibile ostendere voluntati sine cognitione intellectus, tunc vel talis cognitio esset de intrinseca ratione obiecti fruibilis, vel tale obiectum, secundum se acceptum, non esset ens simpliciter absolutum. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet, quia quaecunque Deus ab invicem non potest separare, vel unum est de intrinseca ratione alterius, vel unum secundum sui naturam dicit habitudinem ad alterum, falsitatem consequentis probo, quia cum obiectum fruibile sit in creatum, nulla creatura poterit esse de sua intrinseca ratione. Talis autem cognitio est creatura, item essentia divina, quae est obiectum fruibile, est ens simpliciter absolutum, et non includit aliquam necessariam habitudinem ad quamcunque creaturam. AD PRIMUM horum argumentum dicendum, quod antecedens non est verum, ad probationem eius respondi in prologo, cum tractavi de cognitione intuitiva. Ad secundum dicendum quod minor non est vera, quia Deus est intime praesens omni creaturae, et per consequens voluntati. Sed Deus est obiectum fruibile, ergo etc. Etiam de rebus creatis, aliquantulum videtur esse dubia illa minor propter ultimam rationem cum sua confirmatione, quam gratia disputationis de bono sensibili superius adduxi. Nec valet probatio, quam adducit, quia, si voluntas suam naturam specificam teneret in ordine ad intellectum, tunc non esset ens absolutum, sed simpliciter respectivum, quod tumet negas. Ad tertium nego consequentiam, quia sicut accidens per divinam potentiam separatum a subiecto, licet actu non inhaereat, manet tamen accidens propter aptitudinem inhaerendi. Sic quamvis per divinam potentiam voluntas actu moveretur a non cognito per intellectum, posset tamen duci appetitus intellectivus propter aptitudinem, quam habet ad hoc, ut moveatur a bono cognito per intellectum, quandocunque sibi ipsi fuerit relicta. Etiam concessa consequentia, possemus negare falsitatem consequentis, et ad probationem dico quod intellectum esse non est de specifica ratione voluntatis, quia sine eo voluntas potest sufficienter diffiniri, puta sic. Voluntas est potentia appetitiva secundum suam naturam libera. Ex quo patet quod esse intellectum non est intrinsecum, sed extrinsecum voluntati et adventitium. Sed esse liberum principaliter et per se est eius differentia specifica, per quam distinguitur, a quocunque alio ente creato, et ab ista differentia, nec Deus eam absolveret, nisi suam naturam destrueret. AD ARGUMENTUM

²⁹ Gerardus, Sent.

principale in oppositum dicendum, quod ad hoc, quod aliquid proprie sit obiectum fruibile, non sufficit quod sit tale bonum, quod non possit intelligi malum, sed oportet quod ipsum non sit referibile in maius bonum, modo caritas, cum sit creatura, ipsa referibilis est in suum creatorem, qui est Deus benedictus in secula. [79a] *

Sequitur perspicua subdivisio secundae particulae principalis huius distinctionis, in qua quidem Magister diffinitive aperit materiam huius libri.

Fruī autem est amore, etc. Postquam Magister investigavit materiam libri Sententiarum divisive, in ista parte procedit circa eam diffinitive. Et dividitur in duas partes, quia in prima parte diffinit, seu describit frui et uti, ut ex hoc appareat, quae sint res fruibiles et utibiles. Secundo, movet circa talia quasdam incidentes quaestiones ibi: *Cum autem homines*. Prima dividitur in tres partes. Quia primo, assignat unum modum diffiniendi praedicta. Secundo, assignat alium modum, qui primo aliquantulum videtur contradicere. Et tertio, illos modos concordat, ostendens in eis nullam esse repugnantiam. Secunda ibi: *Notandum vero* etc. Tertia ibi: *Haec ergo quae sibi* etc. Circa istum textum quaero hanc quaestionem.